

E U R O P A.

Ligusticum, Tyrrhenum, aut Inferū, sub Italia. Hinc Superum & Adriaticum, atque Australius Punicum, Libycumq̄, sequitur Aegaeum mare hoc Hellespontus, & Propontis, Thraciusq̄ Bosphorus, atque in ipso Oriente Pontus Euxinus, hodie mare Magiore nominant, qui coarctatus ad Tauricam Chersonesum Cimmericum efficit Bosphorum, ubi in paludem Maotidem exit, quae Tanaim excipiens, eò nos reducit, unde digressi sumus. Distinctionem verò integram complent duae lineae, una ad Asia fines ducta à Tanais fontibus ad mare Septentrionale: altera ab ultimo versus Ortum Nili ostio, ad initium sinus Arabici, quod mare Rubrum dicitur, littus protensa. Habet autem tota hac pars in longitudine, quae computatur à maritimis Lusitania, utpote ab Vlisipona, Constantinopolim, ad extrema usque Graecia milliaria Germanica circiter sexcenta, ac totidem ferè in latitudine, ubi est latissima, puta ab insula Sicilia in Schrickfiniam, usque extrema regionum Septentrionalium. Eiusq̄ regiones insigniores sunt Hibernia, & Scotia, quas Ptolomaeus prima sua Europa

tabula tradit. Secunda Hispania. Tertia Gallia. Quarta autem Ptolomaei tabula continet Germaniam. Quinta Rhetiam, Vindeliciam, Noricum, Pannonias duas, Illyrim & Dalmatiam, quae hodie sunt Sclauonia, Carinthia, Bosna, Croatia, Cornatia. Sexta & septima Ptolomaei tabula habent Italiam, Corsicam, Sardiniam & Siciliam. Octava Sarmatiam, Europam, hoc tempore diuisam in multa regna, ut Poloniam, Lithuaniam, Mosconiam, Liouoniam, Podoliam & Russiam. Nona Ptolomaei tabula comprehendit Tauricam Chersonesum, Iaxiges, Metanastas, Daciam, duas Misias, & Thraciam: dicuntur iam Rascia, Seruia, Transsylvania, Bulgaria & Valachia. In decima tabula sunt, Macedonia, Epirus, Achaia, Eubœia, Pelopponnesus & Creta, quae nunc Candia Insula. Et incognita Ptolomaeo regiones, Dacia, Noruegia, & Suecia regna. Atq̄ hac de Europa dicta sufficiant.

ASIÆ PRIMA PARS, SIVE PERSICVM REGNVM.



Omplectitur præsens tabula complures easdemque amplissimas prouincias, quæ quoniã ferè omnes Persarum Imperio, quod Sophorù nunc vocat, subiectæ sunt, non immeritò nos eam Persici regni titulo insigniuimus. At quoniam loci angustia singularù regionum in hac comprehensarum descriptionem non fert: nos perfunctoriè tantùm sex earum præcipuas percurremus, Assyriam nimirum seu Babyloniam, Mediam, Persidem, Hyrcaniam, Parthiam, & Carmaniam. Assyria itaque quæ & Chaldæa, & sub qua etiã Babylonia comprehenditur, non quòd eadem sunt, sed quòd commune habuerint dominium, nomen accepit ab Assur filio Sem, filij Noë. Græcis autem Adiabena dicitur, quòd inter duos nauigabiles fluuios Tigrim & Onam nunc Tiritirim dictum, sita sit. id nomen à Barbaris etiam hodie seruatur, sed corruptè, qui Adilbegiam hanc terram vocant: nonnullis autem Sacrabia appellatur. Chaldæi verò more suo ex Assur faciunt Atur, vnde historici vocant regionem illam captum Aturiæ: sacra litera regionem Sinear vocant. Populi hinc veteres collocantur ab authoribus Arbelites, Garamæi & Sambatæ. Regiunculas autem has in ea numerant, quã ad Armeniam propius accedit Arapachitis regio est. Iuxta Sufianam est Sittacena, quæ inter Arapachitidè & Garamæos est, Adiabena vocatur, à qua & vniersa prouincia nomen mutuata est, inter Garamæos & Sittacenã est Appolloniatis. Est supra Adiabenam Calacena, Garamæis autem Arbilitis regio imminet. In Calacena regione Ninus vel Niniue ciuitas extitit olim, totius penè orbis famatissima, ad quam Ionas Propheta missus erat à Domino, à Nino Beli filio extracta est, is Assyriorum secundus rex erat. Eius mœniorum circuitus stadiorù erat 480. teste Diodoro Siculo: sacra insuper Scriptura testatur eius ambitù patuisse trium dierù itinere, altitudo muri ducentorum pedum, latitudo autem trium plaustrorum capax. Turres cõtinebat 1500. singulas altitudine 200. pedum. De reliquis præcipuis vrbibus Ammianus Marcellius lib. 23. sic ait: In omni Assyria multæ sunt vrbes, inter quas Apamia eminet, Mesene cognominata, & Teredon & Apolonia, & Vologessea, hisque similes multæ: splendidissimæ verò & peruulgatæ eæ solæ sunt tres. Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis struxit, arcem enim antiquissimus rex condidit Belus, & Ctesiphon, quam Vardanes priscis temporibus instituit, posteaque rex Pacorus incolarum viribus amplificatam & mœnibus, Græco indito nomine, Persidis effecit specimen summum. Post hanc Seleucia, ambitiosum opus Nicanoris Seleuci. Hæc ille. Est & Arbila vbi Darius vicit Alexander, Oroba, Sinna & Sittaca. Raræ sunt pluuie in Assyria: vnde quicquid in ea frumenti prouenit, fluminis Tigris irrigatione paratur, non quidem sua spõte, vt in Aegypto Nilus, sed accolarù ingenio & labore: tanta alioquin vbertas, vt ducentena vulgò, & vbi eximiè ferax est, trecentena messe redundet tellus, quaternorum digitorum latitudine tritici & hordei folia sint, sesami & milij proceritas instar arborum attollitur. Ex legibus quibus ea gens vsa dicitur, ea res memorabilis est, quòd virgines iam maturæ viro, in publicum productæ, singulis annis ijs venales proponebantur qui vxores ducere vellent, dabanturque primum venum formosissimæ quæque: quibus minus spectata erat forma, & quas non modò non quisquam sibi mercaturus fuisset, sed ne gratis quidem alioqui ducturus, ea pecunia quæ fuerat pulchrioribus venditis in publicum redacta, connubio locabantur. Assyriæ mons Niphates est, is ab Armenia protenditur, ex quo Lycus, Caprus & Gorgus fluuij in Tigrim vergunt. Terminatur autem Assyria parte Armeniæ maioris iuxta prædictum montem à Septentrione, ab Occasu Mesopotamia, à Meridie Sufiana, ab Oriente parte Mediæ. Babylonia autem inter Euphratis ambitus ab Occasu & Aquilone comprehenditur, ab Orientali Tigri, deinde sinu Persico & montibus, Septentrionalior eius pars Auchanitis regio dicitur. Media regio Chaldæa, in qua campus Duran & turris Babel. Hæc eadem Astronomos præ-

claros educavit. Sequitur deinde Mardochæa regio, Australè plagam Strophades incolunt. Regio est cum frugum & vitium fertilissima, tum etiam rerum pretiosarum ditissima. Assyrios versus Ortum sequuntur Medi, quos à Medea sic dictos asserunt nonnulli, id quod à vero abesse videtur, & temporum ratio testatur. Quo enim tempore Medea Athenis pulsa fuit, certum est Assyrios Orientis Imperium tenuisse, suosque in Media Satrapas habuisse: verisimilius autem est à Madai filio Iaphet statim à Diluio Medos denominatos esse. Barbari nunc Seruan eam prouinciam vocant, à cognomine fortassis oppido in littore Caspij maris sito: fuit & Aria aliquando dicta Herodoto teste lib. 7. Populi in hac verustiores recensentur ab authoribus Caspij, Cadusij, Geli, Dribyces, Amariacæ, Mardi, Carduchi, Marundi, Margasi, Tapuri, Sagartij, Thesidices, Vadalsi. Eius autem hæ sunt regiunculæ, Mariana, Chelia, Marundia, Ragiana, Choromithrena, Darites, & Syromedia. Strabo in Ecathanam & Atropatiam distinxit. Ciuitas totius prouinciæ præcipua Ecbatana olim dicebatur, hodie Tauris vocatur, sedes quondam regum Mediæ, quemadmodum nunc est Sophorum & Persarù. Ciuitatis ambitus passuum est 24000. muris non clauditur. Heraclea insignis vrbs, nunc achais & nonnullis Caithas dicitur. In Coromithrena regione Caspiæ portæ extant: sunt eæ ruptura montis longitudinis octo milliariorum itinere manufacto angustissimo, per quod Babylonis & Persis est transitus ad mare Caspium. Est Media magna ex parte alta & frigida, cuiusmodi sunt montes Ecbatanis imminentes, & qui apud Rhagas & Caspias portas consurgunt: huiusmodi etiam sunt Caucaji montes à Tauro emissi. Cumque regio summè opulenta sit, Septentrionalis tamen montana pars tenuis est, quare arborum fructibus nutriuntur. Ex malis siccis & tritis massas conficiunt, ex amygdalis tostis panes, è radicibus quibusdam vinum exprimunt: ferinis carnibus vtuntur, mitia pecora non alunt. Quantum ad mores attinet, sunt Medi magna ex parte Armenis similes, omnes in Venerem profusi. Regibus multas vxores habere mos fuit, nec pauciores septem. Mulieres quoque pulchrù sibi existimarunt, vt viris nubere compluribus, paucioribus quàm quinque calamitosum putauere. Fluuij Mediam humectates sunt Cambysis, Cyrus, Amardus qui lacu efficit Marianum, Straton & Charinda, omnes Hyrcano miscuntur mari. Motes habet Zagrum, Orontum, Iasonium, Coronum & Alinzam. Terminatur à Septentrione Hyrcano siue Caspio mari, ab Occasu maiore Armenia & Assyria, à Meridie Perside, ab Ortum Hyrcania & Parthia. Persia à Perseo Iouis & Andromedæ filio denominata creditur. Iosephus tamè ab Elymo filio Sem filij Noë deducit Elymaites Persidis populos. Reliqui verò populi hæc loca tenentes olim Mesabita, Rhapsij, Hippophagi, Zuzæi, Megores & Gabai dicti sunt. Regiones Ptolemæus in ea ponit Paratacenim, Misdiam, Mardienam, & Toacenam. Strabo alijque Geographi etiam Achæmeniã, Drangonam, Elymean, Caltapitim & Hippofagiam in hac locant. Regni sedes olim fuit Persebolis, ingens vrbs thesauro à multis successiue regibus ibidem coaceruato insignis, splendida ditissimaque, tandem verò ab Alexandro magno, cum vino plus æquo indulisset Thaidis cuiusdã scorti suasu instigationeque, igni penitus exusta & in fauillã redacta. Siras seu Sitta ciuitas caput hodie Persidis est, & Sophorum hybernium domicilium, quemadmodum Tauris in Media æstiuum. Ciuitas eiusdem magnitudinis cum Cayro Aegypti. At quoniam Sophorum seu Persarum hoc regnum appellauimus, non intempestiuum arbitramur hinc nomina prouinciarum horum regum Imperio subiectorum, quasi in transcurso enumerare ijs vocabulis, quibus hodie appellantur. Prouincijs itaque dominantur Iexd, Arach, Capacop, Dedel, Diarguro & Mesat, partim ad Mediam, reliquis ad Persiam spectantibus, nec nõ Iesfelbas, Buccara, & Zagatai, quibus Hyrcanorù, Bactreanorum, Parthorumque regiones denotantur. Versus Ortum Sigustan, Cabul, Cadacha, Sablestan, Bedanebale & Carassan regio-



PRIMÆ PARTIS ASIÆ acurata delineatio habens nomina antiqua et recentia continens Turcici Imperij magnam partem ac Sophorum seu Persarum Regnum observatis ubiq; cū longitudinis tū latitudinis gradib' Auctore Jacobo Casfaldo pedemontino. Gerharicus de Iode excudit. 30 100 150 200 250 300 350 400 Miliana Italica.



ASIAE PRIMA PARS.

nes occupat. Versus Austrum autem subiectas sibi habet prouincias Chirman, quæ est Carmania, Circan, Gnadel, Erachaiam, quæ vetus regnum Tarfi constituunt, vnde Salomon rex aurum petebat cum gemmis & lapidibus pretiosis, præter hæc regnum quoque Guzera- thi possidet, partem Indiæ, ab Alexandro subactam, aliàs Gedrosiam dictam. Separat ea tellus dominia Sophorum, & Magni Chami Tar- tarorum Imperatoris intercedente Indo fluuio. Nunc ad Persiam redeamus, eius qualitatem considerantes: de qua hæc sunt verba Stra- bonis lib. 15. Post Carmaniã Persia est, multa sanè in ora illius sinus, qui ab ea nominatur: sed longè maior in Mediterranea, præsertim in longitudine quæ ab Austro & Carmania in Septentrionem & Me- dicas gentes pertendit: & tertia est, natura & aëris temperie. Nam ora maritima æstiuosa est ac ventosa, & fructuum inops, præterquam pal- marum, ea in quatuor millibus & quadringentis stadijs vel in 300. censetur, & in flumen deflectit quod ibi Oroates appellatur. Regio verò vltra hanc campestris est, & omnium ferax, & optima pecorum nutritrix, fluminibus & lacubus plena. Tertia est hyemalis ac montana Aquilonem versus. In extremis eius partibus sunt Camelorū pasto- res. Longitudo est in Septentrionem & Caspias portas, ad 8000. sta- diorum, secundum promontoria quædam occurrentia. Reliqua est in Caspias portas non plurimum duobus millibus stadiorum. Longitudo verò in Mediterranea à Sufis vsq; Persepolim stad. 4. milliū & 200. atque hinc vsque in Carmaniæ fines sunt mille & sexcenta. Amnes Persiam rigantes sunt Oroates, Araxes, Rhogomanis, qui nunc Bin- dimin, Brisbana & Bograda nunc Lefdri. Separatur autem Persia à Septentrione per Pach. oatram montem à Medis, ab Occasu cōtinuo montium tractu dirimitur à Sufiana, quæ hodie Chusistan dicitur, ab Ortu vtramque Carmaniam habet secundum Medum flu. qui & Bograda, à Meridie limitatur sinu proprio seu Persico, qui nūc mare de Balsera vocatur. Hyrcania procul dubio nomen suum mutuata est ab eiusdem nominis in ea vrbe Metropolitana, quæ hodie vti non- nullis placet Diargum vocatur, communicās & id nomen vniuersæ prouinciæ. Sunt tamen huius seculi homines qui Starana seu Stara- bat nominibus hanc ipsam regionem designāt, à cognomini oppido iuxta littus maris Caspij, vbi insignis serici mercatus extat. Incolæ insuper hac ætate Mesanderam hanc suam prouinciã vocant, cuius nominis ratio me latet. Gentes olim hanc terram colentes fuere Maxera, Astaeni, & Phrindi dicti. Ipsa verò in regiunculas secatur Arsitim, Siracenam, Sacam & Mæfocam. Vrbes præcipuæ iam dictæ sunt, præter quas aliæ multæ extant: in maritimis est Mozadera, Ma- ritir, Demanet, Medino, Bestan & similes. De Hyrcania hæc tradit Strabo lib. 12. Hyrcania valde opulenta & multa, & magna ex parte planities præclaris vrbibus adornata, è quibus est Talabroca & Sa- mariana, & Carta, & regia Tape, quã paulò supra mare situm, abesse dicunt à Caspijs portis ad stadia 1400. Opulentia signum ducunt, quòd vitis vini metretam affert, ficus modios sexaginta. Frumentum ex fructu nascitur qui cadit ex culmo, in arboribus mellificatur, ex folijs mel fluit, quod etiam in Matiana Mediæ & in Sacagena Arme- niæ, & in Arexena fit. Nullam tamen in ea excolenda diligentiam ponunt, nec in eiusdem nominis mari, quod & otiosum est, & non nauigatur. Refert Aristobulus Hyrcaniam syluosam esse, & quercum & pinum, & abietem gignere, piceam verò minimè, Indiam his abun- dare. Hyrcania vsque ad mare Ocho & Oxo fluminibus irrigatur, quorum Ochus per Nysæam fluit. quidam Ochum in Oxum dicunt emittere, Aristobulus ostendit Ochum maximum esse omnium flu- mium, quæ ipse in Asia viderit, præter Indica: dicit enim eum nauigabilem esse, & multas Indiæ merces in Hyrcanum mare per eum deuchi. Hinc in Albaniam trajeci, ac per Cyrum ad sequentia loca deferri in Euxinum. Ab Eudoxo & alijs de Hyrcania scripta sunt, quod ripæ quædã cauernosa ante mare stant, inter quas atque mare humile littus iacet, ex superioribus verò rupibus flumina decurrunt, tanta vi delata, vt cum ad ripam peruenerint, aquam in mare iacul- lentur, subiectum littus aspergine intactum relinquentia, vt etiam exercitui vnda tecto peruiã sit &c. Fluuij iã partim enumerati sunt, quorum Oxus in India ex Caucafo monte ortus magna violentia in Septentrionem fertur, tandem in Occidentem versus rectã ad Hyr-

canum properat, mare tribus aut quatuor ostijs in id præcipitatur, is modò Abianum vocatur. Reliqui sunt Maxera, qui nunc Albitorna, Socanda, Taxartes nunc Chesel, is à Septentrione Persicū Imperium à Tartaris separat, quemadmodum Oxus ab Oriente eorū terminus est, est & Calitagia insignis amnis. Mons Coromus quem Taucon appellant ipsi, Parthos ab Hyrcanis dirimit. Habet itaque Hyrcanio ab Occasu Medos, à meridie Parthos, ab Ortu Margianam, deinde mare Hyrcanum. Nutrit autem saua animalia & immanes feras, ma- ximè Pardos, Pantheras & Tigrides. Parthiæ nomen obscurum est, Gens autem ipsa vaga aliquando ex Scythis originem ducit, hodie Corassan à Charras ciuitate appellatur, prouincias cōtinens Texan, Arachizatai. Populi eius celebriores fuere olim Sobidæ & Tapyri, particulares autem eius prouinciæ, Corusana, Parthyma, Choroana, Parthaytica, & Tabiena. Ciuitas autem metropolis à centum por- tarū numero Hecatopylon etiam nū hodie regni caput & Charras dicitur. Balaxan Tutia Lazurij & musci veri mercatu insignis est. Parthia, inquit Strabo lib. 11. nō multa est, & ad paruitatem accedit, quòd nemorosa est & montana atque inops, quapropter reges eam cursu præteribant, cum regio ne minimam quidem exercitus partem alere posset. Arla & Martyana optima apud eos loca, partim mōtibz clausa sunt, partim habitationes in campis habent, Montana Scenila quidam incolunt. Campi fluminibus sunt irrigui. Irrigant eos partim Arias, partim margus. Fluuij hodie in ea nominatissimi sunt Rhobe- tus & Rhadagnus. Regio feras sæuissimas & serpentes alit. Parthi arcubus equisq; exercendis adeò valēt, vt tam priuata quàm publica officia equis obeant. Abundat autem etiam eorum regio Manna, quemadmodum Calabria in Italia. A meridie Parchoatro monte, quem Techisandam nunc dicunt, à Carmania deserta disiunguntur, ab Occasu Medos vicinos habet, à Septentrione Hyrcanos, ab Ortu Arianos iuxta Masdoram montem. Carmania duplex est: altera de- serta, cuius populi & situ & moribus Persis sunt affines: sunt autem Yscithæ, Madomastæ & Cuchi. Altera quicquid inter mōtes Persicos & sinum Persicum est, complectitur: subdivisa in Rhodianam, Agde- nitin, Parepaphitin & Cabadenam regiones, ad littus sinus Persici. Rursus in Aras, Caradras, Cautonicas, & Chelonophagos, ad littus maris Indici. Demum sunt maximè Septentrionales Camelobossi vel Zozotæ, gens bellicosa, quæ asinis in bello vitur, eius metropolis est Germana. Habet Carmania vitem, quæ sæpè bicubitalem racemum facit, magnis acinis ac densis. Fluuios habet Daram, Cathrappim, Corium, Achindanam, Andanim & Saganum, qui in sinum Persicum influunt. Salaris verò fluuius in sinum Paragonicum Indici maris exoneratur. Onesicritus tradit Hytamin flu. esse in Carmania, qui auri strigilè ferat: item argenti fossilis & aris, & rubricæ minij venã, & montes duos, alterum arsenici, alterum salis. Sunt verò huius re- gionis montes Strongilus & Semiramis. Pertingit ad hanc prouinciã Ichthyophagorum regio, quæ scilicet ad mare extensa, sita est inter Carmaniã & Gedrosiam: sic dicti quòd solis piscibus victitent. Vnde Strabo: Ichthyophagorum regio secus mare est, & magna ex parte arboribus caret: vescuntur piscibus tam ipsi quàm pecora eorum, & aquas pluuias ac fossiles potant. Pecorum carnes piscibus præbent: domicilia ex ossibus cetorum & ostreorum conchis magna ex parte faciūt: nam trabium & fulcrorū vsu costæ præbēt, portas maxillæ, è vestibris fiunt mortaria in quibus pisces subiguntur, ad Solem as- fantur, postea ex his panē conficiunt, frumenti paululū admiscentes. Rarum est ipsis frumentum. Gedrosia Persicis montibus, Bootio & Indo flu. intercepta est. Cuius regiones Paradena & Pariffena. Hæc apud Indum, illa apud Booticum mōtem. Gentes Parsiræ, Carmaniæ & montibus contigui. Rhamnæ apud Indum flu. Muzareni mediter- ranei, fortasse legendū Guzareni, nam in hac parte describitur hodie regio Guzurath. Sunt autem omnes hæ regiones à fine 3. climatis vsque ad finē septimi. Meridianus Occidentalior gradus habet lon- git. 70. Orientalior autem 120. Parallellus autem Australior latitu- dinis gradus habet 27. & est numero 8. diem artificialem habens horarum 13 $\frac{1}{2}$. transiens per Charamaniam. Borealiore autem grad. habet 45. & est numero 15. diemque æstiuam facit horarū 15 $\frac{1}{2}$. per Hyrcanum mare transiens.

ASIÆ SECUNDA PARS, SIVE ARABIA.



Qvandoquidem præsentis tabulæ Prouincias cæteras ferè omnes partim præcedenti pagina, partim alibi enarrauimus, nunc Arabiam tractandam suscipiemus, quòd hanc præcipuè eius pictura nobis ob oculos ponat, quare nõ immeritò eius nomine tituloque eam insigniuimus. Pro more itaque nostro ad nominis eius rationem conferimur primùm. Id nonnulli à prisco Hyarba descendisse autumant: verùm nos si Beroso Chaldæo credimus, ad Arabum filium Cur, filij Cham, filij Noè ei originem referemus. Berosi lib. 5. verba hæc sunt: Ab exordio huius (scilicet Saturni Babylonici) Ianus pater misit in Aegyptum cum colonijs Cheme feruum: in Libyam verò & Cyrenem Tritonem, & in totam reliquam Africam Iapetum prisicum Atalaa. In Asiam Orientalem misit Gangem cum aliquot ex filijs Comeri Galli. In Arabiã Fœlicem Sabum cognomine Thuriferum. Arabum præfecit Arabiã desertã, & Petrarum Petrarã. Canam posuit à Damasco vsq; in extima Palæstina. Triplicem autem faciunt Arabiam Geographi, Petrarã scilicet Iudææ Syriaue proximam, per cuius partem filijs Israël per mare rubrum transgressis, in terram promissionis iter fuit, in qua & 40. annorum tempore vagabundi ineffabilia Dei miracula videre: sic dicta non quòd petra, hoc est saxosa sit, sed à Petra ciuitate eius præcipua, de qua Esaias: Emitte agnum Domine, dominatorem terræ de Petra deserti ad montem filia Sion. Hanc ipsam sacra litera terram Madian vocat, in qua exulauit Moyses. Altera est Arabia Deserta, quæ ad differentiam modò dicta Inferior Arabia, & à Barbaris Arabia Sem appellatur. Eius limites sic se habent: A Septentrione Mesopotamiam iuxta Euphratis flu. partem, ab Oriente montana Sinear in Babylone vsque ad sinum Persicum, à Meridie Fœlicem Arabiam, per mōtes qui à Petrarã iuxta Mesopotamiam vsque ad hunc finem extenduntur, ab Occasu partim Syriam, partim Petrarã. Hæc itaque tanquam in meditullio Petraræ & Fœlicis sita, vt nomine ita re ipsa deserta & admodum sterilis est, arenarum montibus inuia, lateque inter vtranque vagatur. Tertia autem quam Fœlicem ob aromatum, odorumque in ea vberem prouentum appellant, Pen'insula modo inter duos sinus Arabicum & Persicum sita, bina attingit freta marisue angustias, quorū quod in Occidentem Africæ propinquum est Bebelmandel ab accolis dicitur, quo scilicet loco Arabicus sinus seu rubrum mare Oceano iungitur: alterū Basora fretum appellatur, quæ scilicet Persicus sinus Oceano committitur. Populi superiorem Arabiam, quæ & Madian & Nabathæa dicta fuit olim habitauere, Saraceni, Agareni que nomina sibi vendicantes ab vxore, famulaque Abrahami, eo que posteritatem se eius gloriantes. Elamitæ item, Moabitæ, Amorrhæi, Ammalechitæ & Idumæi, quorum reges à filijs Israël inde pulsi sunt, quorum que in Terræ sanctæ descriptione meminimus, à prophanis autè authoribus, Phananitæ, Rhathe ni que in hac locantur. Eius Metropolis, vt diximus, est Petra olim Ar & Rechem dicta, cuius rex vnus est ex quinque, qui duce Moyse à filijs Israël interempti sunt, hæc nonnullis hodie Crach appellatur: est & in conualli, quæ ab hac ad Alphatiam lacum extenditur, Aroër Moabitæ capur: rigat eam vallim Arnon fluuius. Eo ferè loco quo exitus fuit Israël à mari rubro, cernitur Eltor ciuitas, olim Hermopolis vocata, emporium earum mercium quæ ex India ac Oriente apportantur, inde que in Aegyptū & finitimas cæteras prouincias distrahuntur. Hinc longo tractu secundum Arabicum sinum cursum Medina, Talnabi oppidum extat, vbi scelestissimi Mahometis sepulchrum visitur. Deserta autem Arabiæ populi olim Cauchabeni, Batanæi, Apibeni, Rhabeni, Orcheni, Acsitæ, Masani, Agræi & Marteni dicebantur. Vrbes in ea sunt Ammea, Idicara, Tapsacam olim Amphipoli, nunc Bebec dicta. Sunt verò eius vrbes vel iuxta Euphratem fluuium quæ in Persicum sinum properat, vel secundum eundem sinum sita. Cætera enim vr bibus vacua, deserta que loca sunt, à pastoribus, quos quòd vagabundi in tentorijs agant, magis que inuadant, quam habitent terras Arabes, Nomadas vocant, infestantur: eorum que latrocinijs haud secuta sunt, appellantur que Beriar, Hegias, Elcatif deserta: vnde vicinum quoque mare seu sinus, mare Elcatif dictum, nomen mutuatur: item deserta Theama & Mascalat. Fœlicis autem Arabiæ, vt pote terræ fertilissimæ ditissimæ que, atque ob id frequentis, in numeri penè recensentur populi: vt pote Thamyditæ, Sideni, Darræ, Banubari, Arsæ, Macæ, Sabæi, quorum regio nunc Zibith vocatur, Scenitæ, Oaditæ, Saraceni, Thamydeni, & plerique alij, quorum nomina ne fastidium pariant, volens prætereo. Eadem à Ptolemæo in complures distincta est regiones,

vt pote Cinedocolpitorum, Cassanitorum, Eleasarum, Homeritorum, Sachalitorum, Anaritorum, Aegæorū, Gerreorum, Thæmorum, Leanitorum, Abucæorum que regiones. His alij addunt Panchaiam, & regiones Smirnophorum interiorem & exteriorem, nec non & Libanotophoram. Huius ætatis Geographi in complura regna eam secant, ea que pleraque Persarum Regibus parentia, qui vt in officio prouincias cõtineant, suos in ijs pro reges cõtstituunt. Cuiusmodi sunt Irmin, Amanfiridin, Ormus, Becharim, Maffa, Alibinali, Gubelaman, Fartach, Hereth, Adem & Zibith regna, quæ partim proprijs regibus, partim à Persico substitutis, partim Turcis parent, his etiam ab aliquibus annueratur Alma, Charama, aliàs Manambe, & Sabara regna, quorum situs tabulam inspicienti obuius sit. Vrribus & oppidis hæc scæter, quarum præcipua est Mecha, quam tamen alij in Petrarã collocant Arabia. Mercaturæ negotiationibus frequentissima est, elegans ac magnoperè culta, quippe quæ ambitu senum millium ædium contineatur. Mœnia non habet, sed montes quibus quaquaversum vallatur. Est præterea Adem famatissimum Arabiæ emporium, munitissimum que, id gemino latere sepiunt mœnia, & quod superest montibus clauditur, in quibus quina extructa sunt arces. Vrbs loco plano sita, ambitu sex mille ædium contenta. Commercia in nundinis noctu & hora secūda, ob nimios qui sæuiunt interdiu æstus, exercent. Illò ceu ad famigeratum emporium ex vtraque India, Aethiopia ac Perside commerciorum gratia, nauali itinere confluunt mercatores. Suspiciunt nonnulli hanc eandem esse quam Ptolemæus Arabiam aut Ocelum vocat, ob situm quem illi assignat. Hinc itinere bidui distat alter mercatus Aiaz dictus, ciuitas in colle gemino sita, intercedente latissima conualle, quo aromatum minutiorum omne genus cõportatur. Fert ea regio Xylon seu cotonum, bombycem que & sericum, fructus que multiplices & eosdem suauissimos, mala Persica & Punica, cydonea, ficus, iuglandes, nuces & vuas optimas. Vterius est Dante ciuitas naturæ & arte munita, in æditissimo monte sita, sed sterilitate laborans. Vnde bidui iter ad Almacharam ciuitatem regiam, in eminentissimo & ipsa monte sita, difficili arduo que ascensu, vt pote 7000. passuum, qui milliaria conficiunt Germanica propemodum 2. adeo que coartatur iter, vt bini homines viam compleant, non secus quam si in angiportu fores: vbi verò in summum euaseris montem, amplissimam videbis planiciem incredibili amœnitate, rerum que ferè omnium abundantia vberissimo que prouentu gaudente, in qua quicquid humanis vsibus conducere queat, legitur. Quæ res vrbes reddit propè inexpugnabilem, tum accessus difficultate, tum comeatum, ac annonæ facilitate, & quod omnium maximè conducit aquæ copia. In ea Sultanus fertur tanquam in Phylaca quadam tantum auri adseruare, quantum centenis camelis onerandis sufficere queat. Ab hac vnus diei itinere abest Reama, negotiationibus ditissimis frequens, cuius ager, si lignum demas, rerum omnium fertilissimus est: narrant que qui superioribus annis ea loca frequentauere, esse in eis Veruecum quædam genera, quorum cauda pondus habeat 44. librarum, cornibus que carere, pingues vsque adeo, vt incedere nequeant. Vuas habent granorum expertes & fructus omnimodos. Cui copiam accedit incredibilis cæli temperies, id quod imprimis testatur perennior hominum ætas, quæ ibi extenditur ad 125. annum. De Arabiæ autem fertilitate hæc sunt ferè quæ ab authoribus traduntur. Petrarã Arabia pro magna parte nõ differt à deserta Arabia, quia & ipsa in multis locis sterilis est, arenosa, petrosa, & tota aspera aquæ que penuria laborat. Tantæ in ea solitudines fabulosa, vt vna nocte vento excitetur, arenæ cumulus montis instar: qua arenarum congerie quicquid obruitur, suffocatur. Cuiusmodi desertum mare arenosum vocatur. Ibi via nulla est, sed qui itineris cursum moderatur, pyxide ac pagina marina vtitur, haud secus quam nauæ æquoris sulcandi periti. Incolæ camelis vehuntur, inclusi ligneis caueis, in quibus vitam trahunt, ducibus tamen pilotis, qui non aliter, quam qui in vndabundo mari feruntur, compasso, hoc est, Magnete ducuntur. Illic sit Mumia. Arabia autè quæ Fœlix dicitur inter duos sinus, Arabicum & Persicum veluti Pen'insula excurrit, quæ bis, vt India feritur ob fecunditatem, Fluminibus scæter, quæ in campos absumuntur, omnium fructuum tum pecoris abundans, præter equos, mulos & porcos, auium etiã omnium copia, præter anserem & gallinam. Oues albæ, boues nigri. Aromatum omnis generis feracissima, quibus omnia permutant. Vrbes sine mœnibus colunt, quòd in pace maximè degant. Artes ab vno in alium non transferuntur, sed in patrijs quisque manet institutis. Qui maximus est